UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scientia Salvtis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam Spiritualis Vitæ Materiam complectens

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

302. Feria 2. de Perservantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-59837

Visual Library

dum ad nuptias cœleſtes, & æternas vocavit.

Conſ. 3. Ad has virtutes accedere ob duritiem improborum ac pervicaciam. 5. Longanimem exſpectationem. Hæc fuit in D. JESV dicente: *Quoties volui congregare te, &c.* Matth. 23. Luc. 13. 6. ſeriam comminationem. Hæc fuit in D. IESV clamante: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis (olim jam pridem) in cinere & cilicio ſedentes pœniterent.* Luc. 10. 7. Severam punitionem. Hæc eluxit in D. IESV edicto: *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij, &. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Matth. 12. ſed & hodie non veſtitum veſte nuptiali, jubet mitti *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores:* Matth. 5. ne id mihi contingat, ad S. Communionem me, quàm optimè præparabo, quia, ut ait D. Ambroſ. ſerm 17. *Sanguis Chriſti purpura eſt, quæ ornat Sanctorum animas.*

MEDITATIO CCCII.

Feria 2. Domin. 19. poſt Pentecoſt.

De Perſeverantia.

ASpiciam Dominum uſque ad finem, & conſummationem continuantem perſeverantiſſimè bonum ſalutis, & Redemptio-

nis noſtræ opus, quod ſemel aſſumpſit. Petam cum eodem in diſciplina perſeverare.

Conſ. 1. Perſeverantia eſt virtus, quâ ex affectu bonum continuandi in bono ad finem perſiſtimus, & diuturnas moleſtias toleramus.

Conſ. 2. Incitamenta 1. ſine perſeverantia labor in virtute ſuſceptus, debitâ mercede vacuatur. 2. Perſeverantia quod petit, impetrat. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 3. *Perſeverantia ſola meretur viris gloriam, coronam virtutibus*, inquit D. Bernardus Epiſt. 229. 4. Exemplo Chriſti, in quacunque actione uſque ad ejus finem perfectum perſeverantis. à Samaritana ad fontem derelictus fuit, eam tamen præſtolabatur, uſque dum ſuis inſtinctibus reducta cum alijs ad ſe reverteretur.

Conſ. 3. Actiones ejus. 1. Laborem virtutis diuturnum tolerare. 2. Non obſtante labore continuare opera virtutum. 3. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promiſſionibus, quod fecit Suſanna à rectitudine ſuperari.

MEDITATIO CCCIII.

Feria 3. Domin. 19. poſt Pentecoſt.

De Prudentia.

ASpiciam Dominum IESVM perficientam